


Herrn Salvator Hahnes [illegible] sich ergebenst S.

C. G. ANDRESENI,
PHILOS. DOCTORIS GYMNASIIQUE REGII COLLABORATORIS,

DE VITA PLAUTI DISPUTATIO,

qua ad

Solemnia literaria Christianei Regii

d. V. et VII. April.

concelebranda

ingenuarum literarum fautores

humanissime invitat

J. H. C. Eggers.

ALTONAE,
ex officina Hammerichi & Lesseri.
1843.

Quam incommode ceciderit, quod paucissima tantum de multorum veterum scriptorum vitis tradita sunt, eaque ita saepe obscura atque inter se discrepantia, ut, si quid verisimile effici possit, non sine magno labore et multiplici periculo tentetur: nunquam non sentiunt ii, quorum sese studia ad continuam quandam alicujus illorum familiaritatem insinuaverunt, intelligunt denique omnes, qui vel nihil omnino, quod ad antiquitatis cognitionem quacunque ratione pertineat, indignum disquisitione arbitrantur. Inter Romanos quidem scriptores scenicorum poetarum fere omnium vitae tantis offusae sunt tenebris, ut, quae scire plurimum interest, ea ipsa ad apertam cognitionem non pervenerint. Itaque quum quae alii veterum Romanorum de re scenica feruntur composuisse, tum M. Varronis scripta ad poesin Romanam spectantia et sive Attii sive Ateji *) libros didascalicon, **) in quibus de poetis scenicis eorumque fabulis bene atque erudite disputatum esse traditur, perditos jure nostro desideramus. Quoniam igitur de Plauti, inter comicos poetas Romanorum facile principis, vita quaerere mihi visum est, non quo meliora, quam quae ab aliis prodita antea sunt, legentibus propositurum me esse confiderem, sed quia, quae illi scripserunt, eorum alia augenda esse, alia mutanda et

---

*) L. Attium, poetam tragicum, auctorem fuisse demonstravit Madvig. Opusc. Acad. p. 87 sq. cf. Lang. Vindic. trag. Rom. p. 3. Mueller. ad Varr. L. L. V, 98, p. 39. Grysar. in Diurn. Scholast. a. 1832 p. 317; Atejo grammatico vindicare libros studuit Osann. Anal. crit. p. 60 sq., eumque secuti Weichert. Poet. lat. reliq. p. 46. Both. Poet. scen. lat. T. V. p. 1 not.

**) De forma hujus vocabuli vid. Osann. Anal. p. 62 not. Weichert. p. 46.

corrigenda, omnia denique accuratius dijudicanda intellexi, sed quoniam de Plauti vita scribere mihi proposui, nihil suppetit praeter paucos veterum, Ciceronis inprimis atque Gellii, locos, ad quos omnis revocabitur disputatio, nisi tamen non erit negligendum, si quid conjici probabiliter posse visum fuerit.

Marcus Attius *) Plautus, **) auctoribus Festo in v. Ploti et Hieronymo in Chron. Euseb. Olymp. 145, natus est Sassinae, *) quod oppidum ad laevam Sapis fluvii ripam situm fuit in septentrionali Umbriae parte, juxta**

---

*) Multum inter viros doctos disceptatum est, utrum *Attius* rectius scribatur, an *Accius*. Dubitant C. F. Hermann. Lect. Persian. (Marb. 1842) III. p. 6 et Classen. Cic. Cluent. p. 172; Fridericus autem Ritschelius in majore Bacchidum editione titulo inscripserat: M. *Acci* Plauti, in minore correxit: *Atti;* vid. Chr. Baehr. in Annal. Heidelb. a. 1836 p. 171. Sed si antiquis inscriptionibus est potior fides habenda, et si ipsum nomen ab *Atta* (cf. Neukirch. de fab. tog. Rom. Lips. 1833 p. 153) ductum esse veri non est dissimillimum, commode formam *Attius* praetulisse videntur Osann. Anal. crit. p. 61. Schmid. ad Horat. Epist. II, I, 56. Schneider. Gramm. lat. ling. II. p. 444 (cf. p. 242). Tertium vero istud, quod interdum scriptum legitur, *Actius* ullius gentis Romanae fuisse verissime negat Classen. l. l. — Ceterum quid est, quod nuperrime A. Fleckeisen. Exercitat. Plaut. (Goett. 1842) p. 7. p. 16 et Schneidewin. in Mus. Rhen. Philol. a. 1843 p. 415 maluerunt Plautum praenominare *T. Maccium?*

**) Festus (p. 128 Lindem.): *Ploti appellantur, qui sunt planis pedibus, unde et poeta Attius, quia Umber Sarsinas erat (nam Umbri, pedibus planis quod essent, Ploti appellati), a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus est dictus.* De permutatione vocum *Plotus* et *Plautus* cf. Schneider. Gramm. II. p. 61. Weichert. p. 218 not; de origine vocabuli C. Schwenck. in Zimmerm. Diar. a. 1836 p. 570. Doederl. Synonym. T. VI p. 273. *Nomen Plauti* ab auctore, quisquis fuit, prologi Casinae, risus captandi gratia, ut mos erat etiam in tenuissimis, *latrans* esse appellatum, quum, docente Festo (p. 126), Plauti olim vocati sint canes quidam, quorum aures languidiores essent latiusque viderentur patere, bene monuit Rost. Comment. Plaut. (ed. Lips. 1836) p. 297; cf. Wolff. Prolegom. ad Aulul. (Numb. 1836) p. 12—13.

***) Dubitatum est de scriptura; vid. Heinsius et Ruperti. ad Sil. Ital. Pun. VIII, 463. Schneider. Gramm. II. p. 508. Ritschel. in Ind. schol. Bonn. a. 1841 p. V. Doederl. Synon. T. III. p. 282. Verum aut nihil tribuendum inscriptionibus antiquis, aut vix licet dubitare, quin *Sassinae* nomen usitatius fuerit, quam *Sarsinae.* Vid. Inscript. Gruter. p. 297. p. 322 n. 4. p. 522 n. 8. p. 889 n. 9. Orelli. Inscript. vol. II p. 285 n. 4404. Nihili autem est, quem Wachlerus scripsit (Gesch. d. Lit. I p. 181), pluralis numerus *Sassinae.*

Apenninum. Vid. Polyb. Histor. II, 24. Strab. V. p. 227. Plin. Hist. Nat. III, 14 (19). cf. Cellar. Geogr. antiq. T. I, p. 594. Kaempf. Umbric. spec. (Berol. 1834) p. 22. Grotefend. Rudim. ling. Umbr. P. III, p. 9. Ritschel. in Ind. schol. Bonn. a. 1841. p. VI. Aptissime jam a Lessingio neglectum est (Opp. T. XXII p. 280 sq.), quod in permultis libris *) legitur notatum, ipsum patriam suam significasse poetam in Mostell. III, II, 83. *Quid, Sassinatis ecqua est? si Umbram non habes.* Num enim, si nihil esset traditum, inde quisquam, Umbrum Sassinatem fuisse Plautum, commode efficeret? Nonne ex Mil. Glorios. III, I, 53: *Ephesi sum natus, non in Apulis, non sum in Umbria*, si conjicere tantum concederetur, Ephesium multo probabilius?

Ejusdem generis istud est, quod hic liceat apponere, atque adeo, ut mihi videtur, ridiculum, quod suam ipsius faciem Marcum Attium pinxisse in Pseud. IV, VII, 120 sq.

Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum
Magnis pedibus

contenderunt Pareus l. l. Funccius de adol. l. l. III, II. Roquefort. in Millini lib. menstr. Magazin Encyclopédique a. 1815. T. V. p. 249, significavit etiam C. H. Weisius in lib. Plautus und seine neuesten Diorthoten. Quedlinb. et Lips. 1836 p. 5. Neque enim, cur illum maxime locum ad ipsum poetam referendum esse censuerint, causa idonea potest excogitari, siquidem ejusmodi versus in fabulis Plautinis etiam alii passim leguntur, ut Mercat. III, IV, 54 sq.

Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum,
Subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum.

---

*) Lil. Gyrald. de poet. hist. dial. VIII. (Opp. T. II.) Sagittar. Comm. de vita et scriptis Liv. Andron. cet. Altenb. 1672. Pareus in dissert. de vita, obitu et scriptis Plauti. Funccius de adolesc. ling. lat. III, II. Interpret. vet. ad Mostell. III, II, 83. Cluver. Ital. Antiq. II, VI, 23. Schmieder. Commentar. in Plaut. p. 220.

Captiv. III, IV, 114 sq.

Macilento ore, naso acuto, corpore albo, et oculis nigris,
Subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus.

Asinar. II, III, 20 sq.

Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus,
Truculentis oculis, tristi fronte, commoda statura.

Mirum autem quantum accideret, si, qualem hominis alicujus faciem legeris significatam, tali fuisse ipse auctor esset existimandus.

Quum, vel propter negligentiam quandam vel disputationis difficultate non mediocriter deterriti, raro tantum minimeque subtiliter de natali tempore Plauti quaesivissent superiores illi, qui de ejus vita exposuerunt, commode sane nostris temporibus eam rem nonnulli viri docti diligentius copiosiusque tractare ingressi sunt. Scripsit de aetate Plauti commentationem, prae ceteris insignem, Fr. Ritschelius (Bonn. 1841), qui vir summis in adornando et prope restaurando poeta Sassinate tam doctrinae quam ingenii meritis lucet. Plane primum illud ab omnibus fere neglectum erat, quod a Cicerone significatum legitur in Cat. maj. XIV, 50, ad senectutem venisse Plautum;*) indeque factum, ut falsissimae illae, quas singulas proferre taedet, de natali ejus anno per longum temporis spatium viguerint opiniones;**) quae quibus nitantur rationibus, vix intelligitur, nisi hoc licet suspicari, fraudi illa, quae multum turbarunt, etiam istis fuisse verba Ciceronis in quaest. Tusc. I, I:

---

*) Verba Ciceronis, male a permultis intellecta, recte interpretatus est Ritschelius de aet. Pl. p. 19 not. 4 cf. Idem in Mus. Rhen. Philol. a. 1841. I. p. 51. Meyer. in Zimmerm. Diar. a. 1836 p. 1155. Ceterum illo loco etiam is debebat uti, qui de Naevio poeta scripsit, A. Schuettius (Herbipol. 1841).

**) Vid. Pareus in diss. laud. Harles. Notit. lit. Rom. II, 6. Mueller. Introd. in Not. lit. Rom. p. 7. Wachler. Gesch. d. Lit. I. p. 181. Roquefort. in Millini l. l. Limiers in diss. fab. ed. praemiss. cf. Donat. ad Terent. Andr. prol. 18. Wieland. Hor. Epist. T. II. p. 84. Crusius Leb. d. Röm. Dicht. ed. Schmid. p. 9. Indidem illud factum est, ut Koepkius in Prolegom. interpretationi fab. germanicae praemiss. p. L Ennium Naeviumque proxime Andronicum successisse dixerit. (cf. p. LII.)

Annis fere DX post Rom. cond. Livius fabulam dedit, C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano Coss., anno ante natum Ennium, qui fuit major natu, quam Plautus et Naevius. Ad quem locum quoniam post ea, quae Ritschel. de aet. Pl. p. 2—7 luculentissime disputavit, non opus est varias interpretum sententias conferre, quid ipse judicem, eloqui sufficit. Atque hic mihi longe ii videntur errare, qui verba: *qui fuit major natu, quam Plautus et Naevius* idcirco ad Livium referre dubitent, quia, quod omnibus esset notissimum, Cicero vix censuisset monendum. Verum id ipsum aptissime poterat moneri, propterea quod minorem Plauto Naevioque ex Attii calculo *) Livium fuisse apparere idem docuit Cicero in Brut. XVIII. Quamobrem, si salvo jure grammatico fieri posset, ut ad Livium illa referrentur, (vid. Kuehner. in Nov. Annal. Lips. a. 1831. II. p. 185) nihil ego obloquerer. Itaque aut cum iis faciendum videtur, qui supposita ideoque omittenda statuunt, qua in re illud tamen perquam mirum est, quomodo factum sit, ut non ad Livii, sed ad Ennii nomen adscripta legantur; aut, mutato ordine verborum, legendum: *Livius, qui fuit major natu, quam Plautus et Naevius, fabulam dedit* cet. — Quod in Brut. l. l. de Livii Enniique aetate Cicero disputavit, ex eo Plautum *aliquanto* majorem **) fuisse Ennio, qui natus est a. 514, apparere commode significavit Windischmann. in Mus. Rhen. Philol. a. 1833 p. 120 sq., exposuit deinde Ritschel. de aet. Pl. p. 7 sq. Itaque Windischmanno et, qui in fabularum Plautinarum aetatem inquisivit, Chr. Peterseno in Zimmerm. Diar. a. 1836 p. 615, paulo post seculi sexti initium poetam natum esse judicantibus, in qua sententia etiam Ritschelius fere acquiescit, non magnopere est repugnandum; nisi tamen sociatus, etiam quod

---

*) De errore Attii cf. Madvig. Opusc. p. 103 sq. Lang. vindic. trag. Rom. p. 22 not. 29.

**) *Paulo* majorem Ennio Plautum fuisse statuendum censet Vissering. quaest. Plaut. (Amstel. 1842) P. 1 p. 10, nescius, ut videtur, quid differat inter *paulum et aliquantum.*

ad ipsam aetatem attinet, quum pluribus locis *), tum illo Ciceronis, cum Plauto Naevius, quem jam ante coeptum primum Punicum bellum vixisse verisimile est, **) aliquantulum nos movet, ut aut quinto seculo aut ipso sexto ineunte natum esse poetam existimemus, vel, si qui brevi praecidere maluerint, anno 500.

Videamus nunc de eo, de quo nihil certi traditum est, conjicere egregie licet, de genere Plauti. Neque enim iis, qui dictum istud Minucii Felicis (p. 115 edit. Ouzel.) *homo Plautinae prosapiae*, ad ipsum genus poetae referendum esse statuerunt, ullo modo concedimus, quum ea ipsa, quae proxime sequuntur, *ut pistorum praecipuus*, *ita postremus philosophorum* nihil aliud, nisi notissimum illud munus pistorium, de quo infra loquemur, Minucium significasse, satis demonstrent. Sed quum eorum, qui seculo, quo arti poeticae honor fere nullus dabatur, post Rom. condit. sexto, ***) in eo studiorum genere excelluerunt, si non omnes, at plerique aut servili aut certe tenui obscuroque loco nati fuisse perhibeantur, †) tum Plauto, cui tanta adolescenti ab opibus destitutio fortunaeque fuit vicissitudo, infimum genus fuisse non incommode judicamus. Et quantum ipse in fabulis suis patrocinium suscepit paupertatis! quam divitum hominum vitia, superbiam inprimis atque arrogantiam, castigavit! Vid. Aulul. II, II, 19. III, IV, 1 sq. Poenul. III, I, 12 sq. III, VI, 16 sq. (cf. Vissering. quaest. Plaut. P. II. p. 26). Most. V, II, 20. Cistell. II, I, 60. Menaechm. IV, II, 8 sq. Trinum. IV, I, 10 sq. cf. Petersen. in Zimmerm. Diar. p. 608.

---

*) Vide, quid ponderis insit particulae *nam* in Brut. XV, 60, ubi de anno quaeritur, quo mortuus est Naevius.

**) Quae de Naevii aetate Koepkius p. LI prodidit, nihili sunt.

***) Gell. noct. Att. XI, 2. Cic. quaest. Tusc. I, 2 cf. Osann. Anal. p. 1. Rost. Comm. Plaut. p. 159 et p. 12. Heysius in Annal. Berol. a. 1828 p. 475. Lang. Vind. trag. Rom. p. 4. Bernhardy. hist. Rom. lit. p. 160. not. 265.

†) cf. Schlegel. Dramat. Kunst u. Lit I. p. 359. Bergman. de lit. condit. ap. Rom. (L. B. 1818) p. 13. Zimmer. in Nov. Ann. Lips. a. 1839. Suppl. V. Fasc. II, p. 235. Vir doctus in Diurn. Scholast. a. 1830. p. 587.

Quod mihi ipsum non maximo quidem est argumento, majori tamen, quam quod monuit Rost. Comm. p. 12 *in comoediis suis Plautum servorum ingenia tam graphice depinxisse, ut hoc maxime vivendi genus usu penitus cognitum habuisse videatur.* Quisquis enim audientium laudem et assensionem captat, cui rei quantopere Plautus studuerit, ipsae fabulae abunde declarant, ea potissimum inducere, nisi si prorsus insanus est, sibi semper proponit, quae sunt acceptissima; quumque in novae, quae dicitur, comoediae fabulis inter primas atque adeo quodam modo primaria sit servi persona,*) gratiamque et leporem quendam ipsis argumentis ita impertiat, ut, sublata illa, cogitari fabula vix possit: fieri non potuit, ut, in qua re plurimum momenti versari ipse poeta probe intelligebat, in eam artis ingeniique operam quam maximam non conferret. cf. Lessing. Opp. T. XXIII. p. 16. — Non magis illud est probandum, quod nullis Plautum majoribus ortum fuisse ex mercatura, quam fecit, apparere idem contendit Rostius. Minime enim omnia, ut ex Cicerone (de Offic. I, 42 cf. Paradox. VI, 2) intelligitur, mercaturae genera apud Romanos sordida atque contemta fuerunt, neque de genere, cui operam Plautus dederit, quidquam cognitum est, nisi domi eum non mansisse, sed peregre profectum. Accedit, quod in ipsis fabulis tantum abest, ut ignominiam mercaturae adhaerere deprehendas, ut non sine aliqua laude mentio ejus aliquoties fiat. vid. Rud. IV, II, 25 sq. Bacch. III, III, 53 sq. cf. Menaechm. prol. 25 sq. Trinum. II, II, 50 sq. Merc. I, I, 75 sq. — Hoc si igitur veri est simillimum,**) ignobili genere Plautum ortum esse, non dissentiendum ab iis videtur, qui libertum civis cujusdam Romani, cui nomen fuit Attio, eum suspicantur fuisse; vid. Mueller. Introd. in Not. lat. script. T. II. p. 7. Sed hac super re vide quid hallucinatus sit Rost. p. 12 not. 2, qui cum L. Attio, poeta tragico, versibus faciendis Plautum una

*) Mirum quam inscite servi personam plane neglexit Raumer. in Act. Acad. Berol. a. 1828. class. hist. phil. p. 184.

**) Aliquantulum tamen olim dubitabat Lessing. Opp. T. XXII. p. 269.

operam dedisse ab ejusque familia nomen sumsisse divinarit. Attius enim natus est post quintum decimum annum, quam Plautus erat mortuus. *)

Verum ad ipsam jam veniamus vitae, qua usus est Plautus, rationem, quae paucis illa quidem significabitur. Nihil enim de causis traditum est, quibus permotus patriam poeta reliquerit, nihil, quo aetatis anno Romam se contulerit. Cavendum autem est, ne in rebus plane obscuris temere divinare potius quam sapienter tacere videamur. Cujus generis illud est, quod nisi ex Naevii exemplo nescio unde sumtum sit, quod finxit Vissering. quaest. Pl. P. I p. 11, *arma adversus Carthaginienses Plautum gessisse inter Romanorum socios.* Ut igitur ad ea redeamus, quae ad certam cognitionem pervenerunt, Romae functus est Plautus, ut docet Gellius, operarii scenici munere, **) quod quale fuerit, traditum non est. Partam inde pecuniam contulit ad mercaturam, peregre factam, sed perdidit omnem. Qua in re illud difficillimum est dijudicare, quomodo acciderit, ut ad mercaturam exercendam animum admoveret ille vir tanti ingenii acuminis, quum neque pecunia defuerit ad quaerendum victum quotidianum, et, quamvis operarius, esset tamen loco, ipsis illis, in quae jam tum aliquo modo eum incubuisse probabile est, studiis aptissimo. Haud enim scio, an non sine dubitatione assentiendum sit Rostio Comm. p. 18 et Franc. Rittero in Diurn. Scholast. a. 1830. p. 884 sq., qui Plautum, ut multarum rerum, morum inprimis

---

*) Vid. Madvig. Opusc. Acad. p. 90 not. Nam quod duos poetas Attios fuisse nonnulli (ut Koepkius Proleg. p. LVIII) statuerunt, negligendum jure optimo videtur.

**) Gell. N. A. III, III. Male permulti de verbis *in operis artificum scenicorum* ita interpretantur, ut histrionis partibus Plautum operam dedisse judicent (vid. Ritschel. de aet. Pl. p. 13 sq. cf. Koepk. Proleg. p. XIV); atque adeo factum est, ut Schaaff. Encycl. d. Alterth. P. 1. p. 127 et Wachler. Gesch. d. Lit. I. p. 181 praefectum histrionum s. *imperatorem histricum* (Poenul. prol. 4) poetam fuisse monuerint. Ceterum unquam histrionis partes a Plauto susceptas esse, nemo facile negabit, siquidem etiam L. Andronicum *suorum carminum actorem* fuisse docent Livius VII, 2 et Valer. Max. II, IV, 4. cf. Wolff. de cant. in Rom. fab. scen. p. 10. Stievius de rei scen. ap. Rom orig. p. 80.

externorum, cognitionem sibi pareret, in terras peregrinas profectum esse arbitrentur. Etenim, quod de Terentio traditur (Sueton. vit. Ter. c. IV), quem, multis nobilibus familiarissime usum, a duobus in fabulis componendis adjutum (Sueton. c. II), gradum quendam altiorem elegantioremque secutum esse probabile est, non continuo ad Plautum est referendum, quippe qui in iis artibus atque litteris, quae essent vulgi, versatus potissimum fuisse videatur. Accedit, quod Terentius in ipsas litterarum sedes se contulit; Plautus quonam profectus sit, nemo est qui sciat. *) Quae quum ita sint, dubitare satius videtur, quam temere in alterutram partem ferre sententiam. — Ad inopiam igitur redactum, Romam rediisse Plautum et *ob quaerendum victum ad circumagendas molas manuarias***) *operam pistori****) *locasse*, in eoque pistrino tres fabulas scripsisse †), Gellius tradidit et Hieronymus in Chron. Euseb. Verum ille quaestus, etsi parum dignus tanto homine, rem movit sane indigniorem. Nam, quod in quibusdam exemplaribus manuscriptis ††) *Asinii* cognomentum Plauto adscriptum legitur, addubitans olim Meursius in Exercit. crit. P. I. c. IX (ad Amphitr.) corrigendum proposuit *Asini*, caussam interponens, *eos, qui in pistrinis laborarent, olim per convicium asinos esse appellatos* (cf. Barth. Adversar. VI, I). Merito istam

*) Nisi hoc est scire, quod Rostius et Ritterus *civitates Graeciae Italicas* Plautum *peragrasse* dicunt.

**) Vid. Gronov. ad. Gell. l. l. Bellermann: Versuch einer Erklärung der Pun. Stellen im Poenulus dissert. III. p. 22.

***) Plauti tempore pistores eos tantum nominatos esse, qui far pinsebant, non qui coquebant, testatur Plinius Hist. Nat. XVIII, 28 (vid. Harduin. not.) cf. Petersen. in Zimmerm. Diar. p. 611. Goeller. ad Trinum. p. 81. Osann. Anal. p. 189 sq.

†) Noctu poetam scripsisse breveque tantum dormiendi tempus sibi permisisse, de suo addidit Koepkius Proleg. p. XV.

††) De fide horum librorum vid. Ritschel. in Ind. schol. Bonn. a. 1841 p. IV. cf. Idem in Mus. Rhen. Philol. a. 1836. II. p. 163. Jacob. praefat. ad. Epidic. p. VI.

opinionem, in qua etiam Reizium *) acquievisse vix credideris, rejecit Lessing. p. 274 sq., neque tamen rem expedivit. Jam pridem mihi cognomen istud *Asinii* ex gentilicio nomine *Sassinatis* profectum esse in mentem venerat suspicio, quam nunc iis, quae in Ind. Schol. Bonn. a. 1841, collata exemplarium manuscriptorum copia, disputavit Ritschelius, luculentissime video confirmatam.

Postquam pistrinum, in quo quamdiu operatus fuerit, nusquam refertur, Plautus reliquit, ad meliorem conditionem accessisse, in eoque per reliquum vitae tempus permansisse facillime statuitur, quum tanti certe, quantum ad bene secureque vivendum sufficeret, comoediae suavissimae ab Aedilibus **) emtae sint; modo ne extra dubitationem positum existimemus, quod cum nobilioribus consuetudine eum junctum fuisse arbitrati sunt Borheck. Pl. Captiv. p. 257 et Koepk. Proleg. p. XIV. Aliud enim, id quod iterum est monendum, de Terentio, aliud de Plauto judicium esto. cf. Schlegel. dram. Kunst. I. p. 360. Becker. de com. Rom. fab. (Lips. 1837) p. 91.

Quod si nunc jam quaerimus de tempore, quo comoedias scribere Plautus inceperit, et quando floruisse in scena recte dicatur, vix desiderat orationem nostram eorum ***) opinionis levitas, qui jam ante factam mercaturam fabulas eum composuisse statuerunt, unice, ut videtur, male intellecta primi illius, quo functum poetam fuisse supra vidimus, muneris ratione decepti. Tantum enim abest, si, quando singulae fabulae scriptae sint, cognoveris, de qua re quamquam nondum absoluta est quaestio, tamen lux

---

*) vid. Kordes. Plautus und Reiz (Kil. 1793) p. 23.

**) Jam enim illo tempore Aediles ludis praesidere solitos fuisse, acute ostendit Ritschel. in Mus. Rhen. Phil. a. 1841. Fasc. I. p. 85. not. 17; cf. p. 63. Significati sunt etiam in ipsis fabulis Aediles; vid. Amphitr. prol. v. 72. Poenul. prol. v. 36. Trinum. IV, II, 148. Pers. I, III, 80 (cf. Rost. Comm. p. 41 sq.)

***) Mueller. Introd. in Not. lit. Rom. p. 8. Harles. Not. lit. Rom. II, 6. Lessing. p. 271. Borheck. Pl. Capt. p. 257. Schmid. ad Horat. Epist. II, I, 175.

venisse aliqua virorum doctorum insigni diligentia videtur, *) et si ad illas, in quibus poeta versatus est, antequam comoedias scribere ingrederetur, vitae rationes animum attenderis, — ea igitur si comparaveris, tantum abest, ut peradolescens **) fabulas Plautus in scenam prodidisse existimandus sit, ut ipso ferme belli Punici secundi initio primam composuisse videatur, anno aetatis circiter quadragesimo. ***) A qua sententia aliquantulum discrepat Ritschelius, qui ex iis, quae in Ciceronis lib. de Rep. IV (c. x.) locutum fuisse Scipionem commemorat Augustinus Civ. D. II, 9, *Periclem violari versibus et eos agi in scena, non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset aut Naevius Publio et Cnaeo Scipioni maledicere*, quoniam illi Scipiones, teste Livio XXV, 32—36, (cf. Wetzel. Cic. Cat. et Lael. Excurs. 7, 2. Moser. ad Cic. quaest. Tuscul. I, 37, 89) anno 542 in Hispania una obierint, Plautum *aliquanto* prius, anno circiter 530, comoedias scripsisse contendat apparere. Verum, ut concedamus, quod quidem non negamus, ante annum 542 datas esse fabulas Plautinas, cavendum tamen, ne nimium temporibus isto loco tribuas, quo incommodius certe cum Plauto Naevius sociatur, †) quae quidem res ita fere videtur posse excusari, ut ad ipsum

---

*) Vid. C. F. Hermann. in Ephemerid. Halens. a. 1838 p. 135. cf. Vissering. quaest. Plaut. P. I. cap. VII.

**) Vid. Lessing p. 270. Vissering P. I. p. 10.

***) Eandem fere, quod hic conferre liceat, Naevio, quum fabulas in scenam primum ederet, aetatem fuisse judicat Schuett. de Naevio p. 22.

†) Plautus, quamvis a censura et irrisione sui maxime temporis morum non plane abstinuerit, sed veteris comoediae graecae acerbitatem quandam saepe immiscuerit, ut Bacch. III, III. IV, X, 149. Aulul. III, V (cf. Wolff. de cant. in Rom. fab. scen. p. 33); IV, IX. Curcul. II, III. Epid. II, II. Trinum. I, I. II, II. IV, III. Pers. III, II. Mercat. II, III: accurate tamen sibi cavit, ne Naevii similis judicaretur, qui *ob probra in principes civitatis in vincula conjectus est;* v. Gell. N. A. III, III; cf. Funccius de adol. l. l. II, VII. Osann. Anal. crit. p. 145. Santen. ad Ter. Maur. ed. v. Lennep. p. 356. Zumpt. ad Cic. Verr. I, 10, 29. p. 72. Schuett. de Naevio p. 16 sq. Eodemne spectant, quae leguntur Pseudol. prol. 22? vid. Planck. de orig. vet. trag. ap. Rom. p. 30 not.

illud, de quo disputet, probandum unice animum vertisse auctor existimetur, minus curans, utpote qui, quod factum non est, tanquam factum comparet, temporis rationem.

Quod ad alteram quaestionem attinet, quando in scena floruisse Plautus dicendus sit, iterum ad ipsarum fabularum aetatem est respiciendum. Earum si non multo minorem, aut etiam majorem partem post finitum bellum Punicum compositam esse viri docti probabiliter argumentati sunt, parum accurate floruisse poetam bello Punico secundo permulti *) docent; ex quo ne hoc quidem, utrum per omne belli tempus, an per aliquot ejus annos floruerit, ullo modo intelligitur. Quanto rectius olim vel potius rectissime Fabricius in Bibl. lat. I, I p. 2: *floruit Plautus a temporibus belli Punici secundi.* Ut falli non admodum videamur, si fabulas poetam dedisse inde a tempore coepti Punici belli, usque dum e vita decessit, ideoque non multum supra triginta annos in scena floruisse monuerimus. **) — *Non nimium longe post sumtum secundum bellum Punicum M. Catonem oratorem in civitate et Plautum poetam in scena floruisse*, id, etsi non accuratissime dictum est a Gellio (N. A. XVII, 21), ut solet ille, in temporibus numerisque investigandis non omnino diligentissimus, nescio tamen, an non ita ineptum sit judicandum, ut visum est Ritschelio de aet. Pl. p. 15 sq. Namque licet concedam, quod tamen nondum mihi persuasi, ante annum 560 vix dici posse in civitate floruisse Catonem, ***) fuit tamen, quomodocunque

---

*) Koepk. Proleg. p. XIII. Schmid. ad Hor. Epist. II, I, 58. Baehr. hist. Rom. lit. p. 58. Petersen. in Zimmerm. Diar. p. 615.

**) Mirifice in eo erratum est a Beckero de com. Rom. fab. p. 60, quod *comoediam Romanam a Plauto usque ad Terentii mortem quadraginta aut certe non plus quam quinquaginta annorum spatio* dixit contineri. Quasi vero aut Terentius tam juvenis sit mortuus, aut Plautus non prius fabulas componendi initium fecerit.

***) Admodum mature ad varios honores accessisse Cato traditur. Vid. Wetzel. Cic. Cat. et Lael. Excurs. 4 et Zumpt. ad Cic. Verr. I, 41, 106 p. 189, quamquam ipsi inter se de numeris dissentientes.

illud: *non nimium longe* interpretaris, aliquod profecto tempus, quo una floruerunt Cato et Plautus (cf. Lessing. p. 278).

Mortuus est Plautus anno post R. cond. 569, auctore Cicerone in Brut. XV, 60; vid. Lessing. p. 276 sq. Koepk. Proleg. p. XII. Hieronymus quidem in Chronic. Euseb. mortis annum fuisse prodidit Olympiade 145, qua in re tantus error est Hieronymi, ut post illud tempus plures etiam fabulas poeta docuerit. Quamobrem Ciceronem, qui bis adscripsit Consulum nomina, satius est sequi, quam Hieronymum, hominem in numeris non semper accuratum. cf. Osann. p. 145. Ritschel. p. 1.

Extremum est, ut de epigrammate, quod ipsum poetam fecisse et incidendum suo sepulcro reliquisse Varrone duce testatur Gellius N. A. I, 24, paucis exponamus. Versus numero Saturnio *) in hunc modum restituit Stieglitz. de Pacuv. Douloreste (Lips. 1826) p. 17:

*Postquam est morti **) captus Plautus, Comoedia luget,*
Scena est deserta. Dein Risus, Ludus Jocusque
Et Numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.

Quid autem est, quod a Gellio additum legitur? *dubitassemus, an Plauti foret epigramma, nisi a M. Varrone positum fuisset in libro de poetis primo.* Numquid propter quandam verborum arrogantiam? Atqui hic erat mos antiquorum Graecorum et Romanorum, ut de se ipse praedicaret atque adeo *post mortem nobilitari* vellet, quisquis ingenio aut virtute inter suos excellebat. Hinc versus illi Enniani apud Cic. quaest. Tusc. I, 15; hinc, inquam, apud Gellium Naevii, Plauti, Pacuvii epigrammata. Quodsi suo jure quisquam gloriam prae se tulit, is est Plautus, cujus nulla, quod sciamus, acta est fabula, quae non placuerit, quique, suopte ingenio atque arte mirifice con-

---

*) Hexametrum substituendum censuit Osann. Anal. p. 37.

**) De hac vetere Ablativi forma cf. Taubmann. ad Menaechm. III, II, 14. Lindemann. ad Capt. IV, II, 27. Schneider. Gramm. I. p. 232 sq. Weichert. Poet. lat. reliq. p. 56.

fisus, id quod maxime intelligitur e prologis, quos propter id ipsum egregie discrepare a Terentianis facile vides (cf. Wolff. Proleg. ad Aulul. p. 32), aliquo prope dixerim imperio tenuit spectatores. An vero versus stilique rationem graviter castigans Meyer. in Nov. Ann. Lips. a. 1833 Suppl. II. Fasc. II. p. 181 impedimentum nobis objiciet, quo minus Plautinum judicemus, quod a Plauto profectum esse Varro prodidit? Verum non ex nostro, sed ex ipsorum veterum Romanorum, qui isto numero rudi sane et aspero in inscriptionibus usi potissimum sunt, *) more judicium esto.

---

*) vid. Duentzer. Liv. Andron. fragm. p. 15.

Jahresbericht.

Auch im verflossenen Jahre haben wir die Besetzung der *vacanten zweiten Professur* vergeblich erwartet. Um so zuversichtlicher hoffen wir auf die Erfüllung unseres sehnlichen Wunsches in dem jetzt beginnenden neuen Lehrjahr. Herr Dr. *Harries* hat uns als Hülfslehrer bisher treu und mit sehr gutem Erfolg unterstützt; ich freue mich, berichten zu können, dass er bis weiter auch im nächsten Jahre unser Mitarbeiter bleiben wird.

Was den *Lehrplan* anbetrifft, so ist die Erfüllung eines lange von mir gehegten Wunsches jetzt möglich geworden, nemlich in Selecta die zweite Stunde für den deutschen Unterricht wieder zu gewinnen. Herr Professor *Ohrt* wird in derselben die *Geschichte der deutschen Literatur* vortragen, welche früher in einer langen Reihe von Jahren Herr Etatsrath *Klausen* gelehrt hat. Ausserdem ist in Prima eine besondere Stunde für die *lateinische Grammatik* angesetzt worden, die ich auf eine den Bedürfnissen dieser Klasse angemessene Weise zu benutzen suchen werde.

Der in allen Theilen *vollständige* Lehrplan wird von neuem unsern Mitbürgern vorgelegt. Wir empfehlen ihn der sorgfältigen Beherzigung derselben; fühlen uns aber nach unsern bisherigen Erfahrungen verpflichtet, den Wunsch öffentlich auszusprechen, dass Knaben, die für die höheren Studien bestimmt sind, möglichst früh dem Gymnasialunterricht übergeben werden mögen. Der gelehrte Elementarunterricht, wie er in den unteren, zum Theil noch in den mittleren Klassen der Gymnasien ertheilt wird, kann nach einer alten Erfahrung nie dem künftigen Geschäftsmann schaden; aber der Schade, den der für den künftigen Gelehrten nicht berechnete Elementarunterricht in der Regel veranlasst, lässt sich nachher schwer wieder gut machen.

Die Gymnasialbibliothek hat im verflossenen Jahre einen nicht unbedeutenden Zuwachs erhalten. Sehr Viel verdanken wir der Gnade *Sr. Königlichen Majestät. Allerhöchstdieselben* hatten es allerhuldreichst gestattet, dass aus den Doubletten der Königlichen Bibliothek diejenigen Werke, welche uns noch fehlen möchten, ausgesucht, und unserer Sammlung einverleibt werden dürften. Die Untersuchung der Doubletten gab für uns ungefähr

